



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

Elogivm Iacobi Sadoleti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

ELOGIVM  
IACOBI SADOLETI.

DOMO MUTINA. CARPENTORACTENS. IN GALLIA  
EPISC. A LEONE X. P. M. POST PRESB. CARD. TIT.  
S. CALISTI, MOX S. PETRI AD VINC. IN ESQUILLIS  
A PAVLO III. CREATVS XI. KAL. IAN. ANN. CIO. IO.  
XXXVI.

ORATOR prudens, & Philosophus, Episcopatum annos plu-  
rimos in Gallia, non ingenio solum scribendique facultate,  
sed industria etiam & fide summa administruit. Magna purpu-  
ratorum Patrum, hominumque laetitia & gratulatione in colle-  
gium est adoptatus: nec à lucubrando cessauit: scripsitque sacra  
plurima. *In Epistolam D. Pauli ad Romanos; in Psalmos aliquot; va-  
riasq; Homilias; & orationes de bello Hungarico; & de suscipiendo bello  
aduersus Turcas.* In Philologia verò vt erat inter doctissimos idem  
eloquentissimus, *Epistolarum libros XVI. De liberis instituentis; &  
De laudibus Philosophia.* vt Hortensij M. Tullij iacturam constan-  
tius feramus. *Poëmata item exstant duo: Curtius, & Laocoon.* Vitam  
eius accuratè ANT. FLOREBELLVS descripsit. Obijt Romæ se-  
ptuagenarius. Fratrum filij hoc illi cenotaphium in aede S. Petri  
ad Vincula, quæ curationis eius fuerat, fecerunt.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO EPISCOPO CARPENTORACTIS  
S. R. E. PRESB. CARD. VIRO MORVM GRAVITATE,  
PRVDENTIA ET VITÆ INTEGRITATE PRÆSTANTIS-  
SIMO, DOCTRINA ET ELOQVENTIA CVM IIS QVOS  
MIRATA EST ANTIQVITAS COMPARANDO: PAVLVS  
SADOLETVS EPISC. CARPENTORACTIS, ET CAMIL-  
LVS SADOLETVS FRATRVM FILII MOESTIASI-  
MI MVLTIS CVM LACRYMIS PA-  
TRVO B. M. POSVE-  
RVNT.

VIXIT ANNOS LXX. M. III. D. VI.

EPI.